

Petrus de Vinea

*Ep. I 6 (Cum sit Christus
caput Ecclesiae...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. I 6 (Cum sit Christus
caput Ecclesiae...)*

1239, 10 marzo

Fridericus cardinalibus, super sententia excommunicationis lata contra ipsum, per dominum papam in Vrbe.

1. Cum sit Christus caput Ecclesiae et in Petri uocabulo suam fundauerit Ecclesiam supra petram, uos Apostolorum statuit successores, ut, Petro pro omnibus ministrante, uos, qui estis candelabra Ecclesiae supra montem, non sub modio constituta, reuera omnibus, qui sunt in domo Domini, ex affectu bonorum operum luceatis, nec a publica mundi lingua et conscientia generali uos subtrahere intendatis, cum ad singula, quae residens sedi Petri proponit statuere, uel denuntiando decreuerit, equa participatio uos admittat, nisi ipsius religionis Ecclesiae status et zelus efferuens euitandi scandalum generale ea uobis suggererit ob futura. 2. Quis enim non miretur et stupeat, quod tot uenerabilium patrum aggregatione munitus, Ecclesiae generalis sedens in solio, utinam iustus iudex!, inconsulte uelit procedere, ac suis motibus excandescens in Romanum intendit principem, aduocatum Ecclesiae, ad precipitationem omnium sententiam depositionis statuere; 3. et ob fauorem Lombardorum rebellium exercere spiritualem gladium, si dici liceat, minus iuste, cum alias quicquid ex obiectis Ecclesiarum grauaminibus, quae uel dicuntur obiecta, uel quae ut species a genere per indiuidua deriuantur, uel emendationem ceperint, uel ad deliberationem uestri consilii sit in proximo, prout iussio iam precessit debita et integra emendatio secutura. Apostolicum nos prestitit monituros, euidens testimonium declaratur: et precedens nostra constitutio super uocatione prelatorum dampna passorum de eisdem prestanda integra satisfactione

prelatis, uenerabili Messanensi episcopo assessori nostro uocato ad hoc transmissio, euidentis perhibet testimonium ueritatis. 5. Propter hoc non indigne dolemus, si pater Apostolicus offendere tam grauiter nos intendat, ut nos, dum in constantem uirum tam uehemens cadat iniuria, etsi patienter ferre uelimus, immanitas negotii non permittit, quin ad ultiones, quibus Cesaes uti solent, facti uiolentia nos compellat. 6. Verumptamen, dum consideramus impatientiam dominantis uel procedentis, et difficultatem attendimus defensoris, si ex quo liceret priuatas exercere uindictas, quas in hominem, per quem scandalum uenit, et in sui participes sanguinis compensare possemus attemptata in ipsum et suos, uestrae Sedis iniuriam redundare tolerabilius duceremus. 7. Sed nec ipse, nec tota propter hoc successura progenies tanta foret, ut Imperii culmen zelaret in ultionem ipsorum; cumque ipsius Sedis auctoritas audaciae sibi frena relaxet, et tot uenerabilium fratrum suorum mollities eum in concepta fouere pertinacia uideatur, angit nos altiori mente turbatio: quod, dum nos intendimus a persequente defendere, oportet nos defendendo grauius offendere satagentem, salua semper in omnibus Ecclesiae sanctitate; quam cultu sacro et debita reuerentia corde et opere ueneramur. 8. Quapropter uenerabilem cetum uestrum affectuosius deprecamur, quatenus motus summi pontificis, quos ex causis euidentissimis tam iniustos quam uoluntarios mundus agnoscit, ex deliberata modestia compescatis, generali statui Ecclesiae et presertim quieti mentium a scandalis prouidentes. 9. Nam, cum ad salutem et honorem omnium uestrum fauorabiliter alligemur, etsi principiis obstare non possumus, licite liceat

nobis iniurias, quas reuocare non possumus, propulsare iniuriis.